



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

De eodem, Sermo XCIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](#)

est sacramentum: quia in capite Christi Deus est, in pedibus Euangelizantium pacem. Orate fratres, ut & nos in vnguine Domini commereamur aliquatenus computari, & vngamur vnguento quod pedibus funditur Saluatoris; quia sicut oblatio est, cum offeratur vnguentum: ita Chrisma perfectum est, de dominicis vestigiis cum redundat. Cuius autem mulier ista typum præferat, vel quam magnum præfiguret arcanum, donante Deo, tunc dicemus, quando ea quæ sunt in sequentibus exponentur.

De eodem, Sermo XCIV.

Quoniam sermone proximo partem primam ho-
diernæ percurrimus lectionis, admirati pariter
sumus quo feroore, qua fide, quali ausu, quanta ob-
sequij nouitate, peccatrix mulier ipsius vestigia con-
tigerit Saluatoris; modo quid Phariseus tacens di-
xerit, quid Christus, cui loquuntur tacita, responde-
rit, audiamus. *Videns, inquit, Phariseus, qui vocauerat*
eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Prophetas, sciret utique,
qua & qualis est mulier quæ tangit eum. Pharisee, quod
conspicis, non est ignorantia, ed potestas: est diuini
iudicij, non erroris humani. Pharisee, erras, nescire
magis potuit si fuisset Prophetas: quia prophetia non
est humani arbitrij, munera est diuini: vnde Proph-
eta scit non quantum vult, sed quantum dederit ille,
qui tribuit prophetiam. *Hic si esset Prophetas, sciret uti-*
que, qua & qualis est mulier quæ tangit eum. Mulieris
malæ tactus vrit male conscientum: parem polluit, sus-
pectum notat, hominem malæ voluntatis infamat:
cæterum peccatrix sit bona, sit sancta, sit innocens,
cum tetigerit veniæ largitorem. Stercora contin-
gunt, sed non inquinant Solem: medicum cum
tangit vulnera, putredo non polluit: iudicem quam-
uis

uis tangat reus, non potest maculare cum supplicat: sic peccator cùm Dominum tangit, non Dominum sordidat: sed ipse & peccato caret omni, & rapit subito sanctitatem. Probat hoc mulier in profluio sanguinis constituta, quæ ut tangit fimbriam Domini, non fimbriam polluit, sed ipsa mox inquinamento vetustæ caruit passionis. *Hic si esset Prophetæ, sciret utique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum.* Phariseus Christum Prophetam crederet, si exposita oculis, nota populis si videret. Quid putas crediturus erit, cum mox eum mentis suæ arbitrum, cordis sui iudicem, testem conscientiæ suæ, cogitationum suarum didicerit cognitorem? Putasne vel tunc fatebitur Deum, quem modò post virtutes tantas iudicat nec Magistrum? *Hic si esset Prophetæ, sciret utique quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum.* Mulier habebat vulnus, sciebat illud, & ideo taliter tanti vulneris Medicum perquirebat: Phariseus perfidiæ morbo sauciis, superbiæ flamma febriens, per phrenesim se nesciebat insanum. Hinc est quod Christus illuc primum curam vertit, ubi ignota saeuebat infirmitas: ut cœlestis Medicus uno medamine duos curaret ægrotos. *Videns Phariseus qui vocauerat eum, ait intra se dicens.* Cui, quia intra se cogitauerat Phariseus, Christus publica voce respondit: & dum Pharisei cordis patefecit arcanum, ipsu fuisse totius prophetiæ demonstrat auctorem. *Respondens inquit, Iesus, ait: Simon, habeo tibi aliquid dicere. Tibi, cui opus est medicina, & nescis quære medicinam: tibi, qui Deum Magistrum vocas, & Dei deseris disciplinam: ignoras quoniam Magistro magnam facit iniuriam, qui se discipulum fatetur eius, cuius non sequitur institutum?* Nam sicut discipuli probitas laus est magistri, ita magistri virtus peratio

peratio discipulus nescieis disciplinam. Simon, habeo
tibi aliquid dicere. Respondit, Magister, dic. Iterum, Ma-
gister dic, & non Deus dic, Iam iam Deum senties,
quem vocas Magistrum. Duo (inquit) debitores erant
cuidam fænectori: unus debebat denarios quingentos, &
alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent,
donauit utrisque: quis ergo amplius diligit? Respondens Si-
mon dixit: Æstimo quod is cui plus donauit. Et Dominus,
repte indicasti. Audistis quemadmodum cœlestis cre-
ditor totum debitum charitate compensat, & ad in-
crementum totius fœnoris amoris solius exigit, &
requirit usuram. Plectendus debitor, qui dilectione
sola suam negligit redimere cautionē. Vis scire ho-
mo, quid Deo debeas? Quod factus es, Dei creditum
est: quod es rationis capax, Dei fœnus est: quod di-
scretionem mali, boni ve possides, accepisti: & quod
viuendi normam acceperis per chirographum legis
stipulanti Deo spopondisse te non potes diffiteri.
Sed dum te per vitia carnis in lutum instar suis de-
mergis, & quadrupedum more viuens qua præditus
es ratione priuaris, & in gurgite criminum boni, ma-
live perdita discretione confundis, & diuinæ legis
substantiam dissipas, mundana voluntate captiuus,
factus es gloriosi fœnoris debitor luctuosus: cui de-
ficientibus virtutum lucris criminum multiplicatur
usura. Sed licet in hac re cecideris, licet fueris in ista
deuolutus, vide ne desperes: homo remansit tibi un-
de piissimo satis facias creditori. Absolui vis? Ama,

Ioan. 4. charitas cooperiet multitudinem peccatorum. Negationis criminе quid peius? & tamen Petrus amore solo valuit hoc delere, probante domino, cum di-

Ioan. 21. cit: Petre amas me? Inter omnia Dei præcepta amor obtinet principatum. Diliges dominum Deum tuum

Mat. 22. ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente

mente tua, & ex tota virtute tua. Ama ergo homo
Deum, & ama totus: ut possis omnia sine labore vin-
cere peccata. Teneret militia, delicati conflictus est,
amore solo de cunctis criminibus reportare victo-
riam, sicut ex sequentibus elucescit. Conuersus, inquit,
ad mulierem, dixit Simoni. Quid est quod conuersus ad
mulierem, Simoni loquitur Christus? Quia cum pœ-
nitentem respicit, arguit oblatrancem. Dixit Simoni,
vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pe-
dibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes
meos, & capillis capitis sui tergit: osculum mihi non dedisti,
hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos:
oleo caput meum non unxiisti, hæc autem unguento unxit
pedes meos. Propterea dico tibi: dimittitur illi peccata mul-
ta, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur,
minus diligit. Probatum est, quia dilectio delet &
abluit vniuersa peccata. Quid est autem quod dixit,
Cui minus dimittitur, minus diligit? Ergo ad peccandum
satis est, ut maior charitas comparetur? Absit. Chari-
tas de præteritis subuenit, nō liberat de futuris: cha-
ritas nescit peccare cum diligit: charitas non est cha-
ritas, si delinquit: charitas Dei custos est sanctitatis.
Fratres, si nos esse peccatores nouimus, & esse nolu-
mus peccatores, pedibus Christi demus lachrymas,
spargamus capillos, figamus oscula, pietatis oleum
tota deuotione fundamus: ut dicatur nobis: dimit-
tuntur vobis peccata multa, quia dilexistis multum.
Imitemur hanc mulierem, quam conspicimus non
solum caruisse peccatis, sed ad totum sanctitatis ver-
ticem peruenisse. Quæ sit autem hæc mulier, quia
hodiernus sermo charitatis nos distulit, sicut iam
promisiimus, in sequentibus Deo auctore pande-
mus.

De